

Gaulinus cum maximo suscipiens favore, ad meliora spiritualis vitę de die in diem hortabatur conscendere. Illa autem paternę traditionis monita cordis collocans in arcula usque in presentem diem mirabilis vitę effloret in gratia.

32. Interea conspiciens Dei famulus in gazofilatio Christi ita iactari, statuit ipse in donationibus huiusmodi eos anticipare. Namque Mairiacum¹⁾ alodum, in territorio Tornodrensi positum, a Milone²⁾ comite octoginta librarum accepit cum famulis et famulabus distributione.

Deinceps cum privilegia apostolica aliquando revolveret, interdictumque animadverteret, et excommunicatum oculis penderet, ne quis Floriacensium prelatorum aliquando de his villis aut possessionibus, quę sunt in circuitu monasterii, presumeret beneficio dare alicui, repperit Isdam³⁾ aeccliam ab Odolrico Aurelianensium episcopo fiscali teneri dono. Possessiones autem supradictę sunt hae: Bosonis villa, Guarentię, Sumcantus, Bagmari villa, Sarmatiolę⁴⁾, Bellasilva, Bullonis villa, Evera, Lauriacum⁵⁾, Pauliacus, Diacus, Ulmidus⁶⁾, Monasteriolum-Villare⁷⁾, Asenniacus, Matriniacus, Cameron, Poiliacus⁸⁾, Castellionem⁹⁾, Gilliacum¹⁰⁾, Varennas et Isdam, quam pro redemptione animarum suorum antecessorum¹¹⁾ a prefato presule XXX librarum adquisivit collatione.

Veritus autem iam dictus episcopus, ne quando ab aliquo suorum repeteretur parentum, de dominicatu sui victus Monasteriolum, in Aurelianensi situm, Hunbald o dedit reciproca vicissitudine sui fisci¹²⁾, qui supradictam Isdam de eo habuerat iure fiscali.

33. Ea etiam tempestate castrum subvertit Evera, res fateor insperata; profecto largitis novem libris et dimidia mundissimi auri iam dicto pontifici, castrum diruit, advocacionem vicariamque et quicquid malarum inerat consuetudinum remisit.

Cuius castri nobilis femina, nomine Lancenda, et seculari prepollens potentia, dalmaticam, crucem auream lapidibus pretiosi generis interstellatam, albam supra et infra auro crustatam, olosericam pallam sancto Benedicto dereliquit moriens; in quo loco tumulariam est adepta sepulturam. Utque eversio castri Everę omnium seculorum permaneret tempore, centum nonaginta quinque libras Gauzlinus abba probatissimi argenti regi Rotberto regalique proli contulit, quod et scripto corroborari atque a totius Gallię episcopis anathematizari obtinuit.

1) Meré, dép. l'Yonne c. Ligni-le-châtel (Delisle). 2) Milo II, Graf von Tonnerre (Delisle). 3) Isdes, dép. Loiret, c. Sulli (Delisle). 4) Sermaises, c. Malesherbes (Delisle). 5) Louri, c. Neuville oder Lorris (Delisle). 6) Vielleicht Ormes, c. Patai? (Delisle). 7) Ville-moutiers, c. Bellegarde (Delisle). 8) Poilli, c. Gien (Delisle). 9) Châtillon-sur-Loing (Delisle). 10) Guilli, dép. Loiret, c. Sulli (Delisle). 11) Hs.: ancessorum. 12) Hs.: fci.